C EX PLINIO.

Daphnoides siue syluestris laurus aluum soluit, recenti folio uel arido drachmis tribus cum sale & hydromelite manducata. Pituitas extrahit foliũ & uomitus. Stomacho inutile. Sic & baccæ quinæ denæue purgationis causa sumuntur.

APPENDIX.

Officinarum error. Animaduertendũ hoc loco mirum in modum errare officinas, propterea quod foljs Daphnoidis pro Mezereon, quæ tamen grecorum est Chamelæa diuersa ad modum à Daphnoide, utantur: & eius fructu pro cocco cnidio, quod fructum Thymelęæ esse notius est quàm ut demonstrari debeat. Sic in manifestissimis cæcutire solent officinæ, pulchrè interim ad eos errores conniuentibus medicis, non minus quàm illi rei herbariæ imperitis. *Thymelæa non est laureola.* Thymelæan uerò non esse laureolam hodie appellatam herbam, ex eo colligi potest, quod hęc ipsa, Dioscoride autore, linum nõnullis nominata sit, non alia quidem ratione, quàm quod satiui lini similitudinem referat, cui quàm dissimilis laureola sit, nemo non nouit. Sunt etiam qui ad hanc similitudinem respicientes, in hodiernum usque diem linum syluestre appellant.

DE DRYI▸ CAP▸ LXXXIIII▸

NOMINA.

Ἀρυς Græcis, Quercus Latinis & Officinis, Germanis Eychenbaum appellatur.

FORMA.

Notissima est arbor Quercus, procera, crassiore & asperiore caudice, ramosa, foljs profundè laciniatis. Glandes producit optimas, & grandissimas, gallas item & uiscum. Radix eius latissimè circumiacentem terram amplectitur.

D

LOCVS.

Passim in syluis aljsq; locis nascitur.

TEMPVS.

Vere quidem germinat, sed tardius multis aljs arboribus.

TEMPERAMENTVM.

Desiccat, adstringit & excalfacit paulò infra media, in genere scilicet eorum quæ tepida sunt.

VIRES. EX DIOSCORIDE.

Quercus omnis adstrictoriam facultatẽ habet, præsertim id quod inter corticem & caudicem membranæ simile clauditur: quinetiam membrana putamini glandis subiecta. Decoctũ ex ijs datur dysentericis & sanguinẽ excreantibus, & in pessis tritum contra fluxiones mulierum apponitur. Glandes idem possunt. Vrinam ciunt, capitis dolorem, & flatus comestæ pariunt. Resistunt esitatæ uenenatorum ictibus. Decoctum corticis cum lacte bubulo potum, contra toxica prodest. Crudæ autem tritæ & illitæ inflammationes leniunt. Ad malignas duritias, & malefica ulcera cum adipe suillo salso cõueniunt. Galla fructus est quercus. Aliqua omphacitis appellatur, parua quidem, præ se ferens formam in digitis articulorum, solida, nullo foramine peruia. Altera leuis, plana, perforata. Eligi debet omphacitis quæ efficacior est. Vtraq; uehementer adstringit. Carniũ excrescentias tritæ, fluxiones gingiuarũ & columellæ, atq; in ore aphthas reprimunt. Nucleus earum cauernis dentium inditus, dolores sedat. Crematæ carbonibus donec igne flagrent, & uino aut aceto, aut oxalme extinctæ, sanguinem reprimunt. Decoctum earum ad insessus utile, contra uuluæ procidentias, fluxionesq;. Capillos denigrãt aceto aut aqua maceratæ. Cœliacis, dysentericis, cum uino aut aqua trita conuenienter illinuntur aut bibuntur. Vtiles & obsonijs mixtæ, aut integræ in aqua præcoctæ, in qua aliquid co-